



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

VII. De Synodis presbyterorum, & abbatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

aut pauperibus reddat : nec sculptilia aut pede , aut homine lineo fieri penitus præsumat.

IV.

Non licet ad sortilegos , vel ad auguria respicere , non ad caragios , nec ad sortes , quas Sanctorum vocant , vel quas de ligno , aut de pane faciunt , aspicere : sed quæcumque homo facere vult , omnia in nomine Domini faciat.

V.

Omnino & inter supradictas condiciones , peruiigilias , quas in honore domni Martini observant , omnimodis prohibete.

VI.

Vt a media quadragesima presbyteri chrisma petant : & si quis infirmitate detentus venire non potuerit , ad archidiaconum suum , vel archisubdiaconum transmittat , sed cum chrismario & linteo , sicut reliquæ sanctorum deportari solent.

VII.

Vt medio Maio omnes presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant , & Kalendis Nouembris omnes abbates ad Concilium conueniant.

VIII.

Non licet in altario in sacrificio diuino mellitum , quod mulsum appellant , nec vllum aliud poculum , extra vinum cum aqua mixtum , offerre : quia ad grande reatum & peccatum pertinet presbytero illi , quicumque aliud poculum , extra vinum , in consecrationem sanguinis Christi offerre præsumpserit.

IX.

Non licet in ecclesia choros sæcularium , vel puel-